



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae**

**Johann Hugo <Trier, Erzbischof>**

**Mogvntiae, 1688**

Benedictio impeditorum conjugum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

## BENEDICTIO IMPEDI- TORUM CONJUGUM.

**F**It interdum ( Deo hominum vindicante sive infidelitatem sive libidinem ) ut vir & mulier maleficio impediti, à matrimonii usu impediuntur. Ad quam depellendam noxam, conjuges, primùm omnium diligenti conscientie examinae & confessione Sacramentali præmissâ, adibunt sacerdotem; qui lectâ missâ de Spiritu sancto aut Deipara Virgine Maria, sequentes subjiciet orationes.

*Scribit*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℞. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Salvum fac servum tuum, & ancillam tuam.

℞. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.

℞. Et de Sion tuere eos.

℣. Nihil proficiat inimicus in eis.

℞. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.

℣. Esto eis Domine turris fortitudinis.

℞. A facie inimici.

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

**O**remus.

**D**omine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui in paradiso terrestri matrimonium instituisti in officium, & postmodum pro nobis homo factus, & ex virgine natus etiam in Sacramentum, & tuâ præsentia ac miraculorum tuorum primitiis dignan-

N n

ter

ter illustrasti: quæsumus, ut, per merita beatissimæ Virginis Mariæ, matris tuæ, **N.** Ecclesiæ nostræ patroni, omniumque Sanctorum & Sanctarum tuarum, hos conjuges, matrimonii Sacramento copulatos bene **✠** dicere, & ab omni ligamento, fascinatione & maleficio sathanæ, fœcunditatem & salutarem sobolis propagationem eis impertiendo, tuâ pietate liberare digneris. Qui cum Patre & sancto Spiritu vivis & regnas &c.

**R.** Amen.

**Deinde psalmi sequentes dicuntur.**

*Psalmus 1.* Beatus vir, qui non abiit.

*Psalmus 90.* Qui habitat in adiutorio.

*Psalmus 127.* Beati omnes, qui timent Dominum.

**Deinde preces sequentes.**

**K**yrie eleison. **C**hriste eleison. **K**yrie eleison.  
**P**ater noster.

**V.** Et ne nos inducas in tentationem.

**R.** Sed libera nos à malo.

**V.** Salvum fac servum tuum & ancillam tuam.

**R.** Deus meus sperantes in te.

**V.** Mitte eis Domine auxilium de Sancto.

**R.** Et de Sion tuere eos.

**V.** Nihil proficiat inimicus in eis.

**R.** Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.

**V.** Esto

**V.** Esto nobis Domine turris fortitudinis.

**R.** A facie inimici.

**V.** Domine exaudi orationem meam.

**R.** Et clamor meus ad te veniat.

**V.** Dominus vobiscum.

**R.** Et cum spiritu tuo.

**O**remus.

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui beatæ semper Virginis Mariæ uterum mirabiliter fœcundasti, ut de Spiritu sancto verum Deum & hominem, Salvatorem nostrum Jesum Christum conciperet: imploramus clementiam tuam, ut his famulis tuis matrimonii nexu conjunctis, sublato omni dæmonis impedimento, & maleficio, salutarem matrimonii fructum largiri digneris. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum qui tecum vivit & regnat &c.

**Deinde, benedicens utrique subiicit.**

**C**reator cœli & terræ, qui primis parentibus, matrimonii fœdere sociatis, dixit: Crescite & multiplicamini, & repleteterram; ille suâ vos benedictione, adversus omnes diabolicas infestationes, fœcundet, atque multiplicet; & Christianæ sobolis salutarem propagationem, misericorditer vobis concedat, in nomine Pa **†** tris & Filii & Spiritûs sancti. **R.** Amen.

Nn 2

**DE**